

Q. D. B. V.

45

MEMORIAM MASCIANAM,

simulq;

EXTEMPORALEM DISSERTATIONEM

DE

METHODO STU-  
DIORUM,

*ad d. XV. Mart. M DC LXXXIX.*

IN GYMNASIO ZITTA VIENSI

publicè proponendam,

PATRONIS, FAUTORIBUS,  
AMICIS,

decenter intimat

Auctor & Interpres

CHRISTIANUS BEISE/RECTOR.



ZITTA VIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.

\* \* \*

**M**nnus effluxit tertius post septuagesimum,  
ex qvo Vir celeberrimus Dn. MICHAEL  
**M**A SCUS Zitta Lusatus, JCtus, Branden-  
burgensis & Anhaltinus Consiliarius, Dessaviæ  
mortuus, anniversariam sui recordationem in Gymna-  
sio nostro suscipiendam, firmâ testamenti lege, sic in-  
stituit, ut capta dicendi occasione, docentes aliquæ  
simul proferrent, qvæ omnium ordinum Hospiti-  
bus non essent ingrata, dissentibus vero certam utili-  
tatem pollicerentur. Neq; defuerunt officiisæ suæ  
pietati, qvicunq; ab eo tempore juventutis curam  
gesserunt: tum qvod ipse Mascus Zittani Rectoris  
olim filius, non contemnendam huic ordini glori-  
am attulisse videretur; tum qvod exemplo tam lu-  
culento constaret, homines Zittaviæ natos alibi flo-  
rere, ac patriam in se laudabilem, novis præconiis  
exornare posse. Forte qvi Lipsiam hodienum  
benignissimam Zittanæ juventutis matrem agno-  
scunt, vel ideo sibi gratulantur de Mascō, qvod ibi-  
dem præcipua literarum & honorum posuerit funda-  
menta, Rectorisq; Magnifici munus geminâ vice ge-  
stum, nobis in èa matriculâ collocandis reddiderit  
preciosum. Cæterum ad me jam redit parentandi  
ordo, postqvam superioribus annis variatum in Ma-  
sciano hoc officio, tum in orationibus Kohlianis ac  
Wincklerianis, fuerunt proposita, qvæ prudentiæ  
scho-

Scholaſticæ aliquam partem attingerent. Qvamobrem ne vel operam hanc contempsisse, vel à fervore ſæpius demonstrato defeciffe videar, dispiciendum fuit, qvo potiſſimum argumento sermonis ſive preſtium ſive ſpecies & opinio conciliaretur. Commodo autem oculis obversabatur Dn. Morhofii Polyhiſtor, continens de notitiā Auctorum & rerum com‐mentarios: qvi cum variis eosq; ut plurimum benignos promeruiffet censores, non poterat legentis oculum non allicere, alleſtum detinere, detentum aliquo jucunditatis & utilitatis fructu confirmare. Sicut autem nihil eſt in universa eruditione, qvod conſiliis, monitis & judiciis, ordinare, commendare, ex‐colere non fuerit conatus: ita præ cæteris ad me per‐tinere videbantur capita, qvæ ſtudiorum varias me‐thodos & curriculi Scholaſtici rationem comprehen‐dunt. Etsi enim multa ſimul afferuntur in medium, qvæ ſpeculativa potius ſunt qvam practica, ſtatumq; magis idealem & exoptandum, qvam poſſibilem & ſperandum præ ſe ferunt: jucundum tamen eſſe de‐bet literarum ſedulo cultori, vel in ſomnio ſpectare felicitatem, tot eruditorum votis ſæpe expetitam & animo præfiguratam. Nec alias à contemptu vi‐dicari ſtudia melius poſſunt, qvam ſi conſtet, præ‐clarissimos paſſim homines ad provehendum rei lite‐rariæ florem, & excolenda præceptorum officia, tot meditationes ſcribendiq; & consultandi labores con‐

tu‐

tulisse. Nam siqvid obstare videtur principiorum  
consiliorumq; diversitas, dum aliis commendat in  
Lingvis methodum conversationis, aliis extollit in-  
formationem; huic arridet meditatio, alteri extem-  
poralitas; hic festinando proficere vult, alter cun-  
ctando; hic in memoria primam felicitatem collo-  
cat, alter in judicio: singula tamen aliquid ad augen-  
dam prudentiam conferunt: ut in publicis delibera-  
tionibus suffragia qvamlibet contraria, veritatis &  
utilitatis cognitionem reddunt aliquanto certiorem.  
Jam alienum à rebus meis non fuerit, allegare qva-  
lemqvalem informationis experientiam, qvam & e-  
ducatio paterna, & annorum non paucorum labor,  
& auditorum copiosissimus affluxus, comparavit.  
Ut nunc qvoq; rem facturus videar, & testamento  
Masciano congruam, & officio meo dignissimam,  
siqvid de STUDIORUM METHODO, qvin & de  
FALLACIIS inibi frequentissimis meditari aggrediar.  
Destinatus autem huic negotio jam est dies Martis,  
post emortualem Masci proximus, qvem DEUS  
faustum & felicem illucescere jubeat. Ac proinde,  
qvorum interest vel florere scholas, vel post mortem  
vigere bene meritos, ut favore & affectu suo nos pro-  
sequantur ita rogo, ut qvi futurus sim ad officiorum  
singula genera paratissimus. Deus servet Patriam, in  
mediis bellorum incendiis cœlesti beneficio tutam  
hactenus & qquietam. *P.P. Dominica Oculi.*  
*M DC LXXXIX.*